

Alte Drucke

APOLOGIA || FRANCISCI || MONTANI PRO SOCIETATE || IESV IN GALLIA. || CONTRA ANTONII ARNALDI || Aduocati Parisiensis Philippicam. || Ex Gallico in ...

Richeome, Louis

Cracoviae, 1597

Caput XIX.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-154864

De fide orthod.
cap. 3.

runt: cur times vocari hæreticus, cum sis? Putasne, te non esse hæreticum, recusando nomen? Ne illi quidem, ait S. Ambrosius, sunt immunes hæreseos, qui nomen quidem refugiunt, sed perfidiam asserunt, & impietatem exequuntur.

C A P V T XIX.

Calumnia & Mendacia Arnaldi circa originem Societatis Iesu.

POSTQVAM pectoris tui perniciosum virus in caput Ecclesiæ liberaliter euomisti, & quo ardore Sedis Apostolicæ ruinam exoptes, manifestis argumentis declarasti: conuerso furore, nunc membra Ecclesiæ aggredieris, de quæ origine Societatis Iesu sic nugaris: Cogor aliquid dicere de origine Iesuitarum, sed breuissimè, quia causa mea aliò me vocat: quibus subdis: Anno igitur M. D. XXI. cum exquisitum censerent Galli, ut is, qui ipsorum causâ ditione sua exciderat, eandem per eosdem recuperaret, obsidione cinxerunt ciuitatem Pampelonam, eamq; post multam demum oppugnationem occuparunt. Erat autem ibi præsidiariorum militum Dux Ignatius Loiola, qui pertinacissimè nostris sese opponeret, donec tandem vix fractis cruribus euaderet. Quo casu militia ille quidem super sedere coactus, sed tamen cum iurasset odium in Gallos irreconciliabile prorsus, nec minus eo, quàm erat Hannibalis contra Romanos auxilio maligni spiritus, incubatûq; suo exclusit maledictam istâ coniurationem Iesuitarum, qui tot tantaq; mala in Galliam inuexerunt. Et paulò post: Mirandum sanè, flagitiosam Iesuitarum propagationem ruina vtique & desolatione gentis humanæ in tantam excreuisse multitudinem, ut intra paucas annorum hebdomades à sexaginta (neque enim initio plures) ad decem vsque prouenerint millia. Hactenus Narrationis tuæ verba, quæ qui legerit, quantumlibet frigide duntaxat & politicè Catholicus, nulloq; veteris Religio-

ligionis ardore incensus; facile tamen intelliget, omnes tuas cogitationes, conatus & machinas eò referri, vt mendacia & calumnias architecteris & comminiscaris. Nam, si mētiendi libidine non exardesceres, nihil necesse erat, te ortū huius Societatis commemorare, cū is nihil ad rem tuam faciat. Clarē etiam deprehendet Lector tuus, te laborare immedicabili gangræne morbo; cuius ea natura, vt omnia cōtaminet, & nihil intactum & intaminatum relinquat. Maffei-
 us & Ribadeneira, quem frequenter citas, & ex aliorum numero Lopeſius Caſtagneda, Societatis originem, & hanc, quam refers, hystoriam verē descripserunt; si quod inde accepisti, sincere & bona fide reddidisses; aliquid saltem veritatis in duabus tuis periodis repertum fuisset, absq; causę tuę præiudicio, imò cum laude & candoris testificatione. At nihil in tua præcordia descendit, quod non acescat: nec vel fauces mouere potes, quin mendacia euolent. Et si veritatem aliquam in animum tuum demittas, mox in mendacium conuertitur, & noua metamorphosi in suum contrarium transmutatur. Ecce quid Caſtagneda hystoricus Lusitanus, de cuius fide meritò dubitare nequīs, de origine Iesuitarum literarum monumentis consignarit, & ad posteritatem transmiserit. Ignatius de Loiola ex Biscaia oriundus, nobili familia, & parentibus Catholicis editus, à prima statim etate in aulam Regis Ferdinandi missus, ita vitæ suæ rationes instituit, vt ar-
 morum vsus & tractationem omnibus rebus anteferret; id vnum elaborans, vt in hac exercitatione fratres suos se natu grandiores longo interuallo superaret. Itaque cū Anno M. D. XXI. Pompeiopolis à Gallis arcta obsidione tingeretur, & ab Hispanorum præsidio, in quo & Ignatius, defenderetur, ictu bombardæ penitus confracta est dextra eius tibia, sinistra autem, lapide ex mœnibus excusso, valde sauciata: postquam suis adhortationibus, animiq; infracta virtute obsessis sepius non parum animi & roboris addidisset, vt hostibus viriliter re-

Li. 20. hist.
 Portugallensis.
 Verba Casta-
 gnede hystorici
 de orig. Iesuit.

ter resisterent. Quā de caussa vrbe paulò pòst per deditionem Gallis tradita, Ignatius in Gallorum manus venit, qui perhumaniter acceptum & habitum, ad extremum quoq; liberū in patriam remiserunt, ubi à Medicis diligenter curatus, acerbissimos quosq; dolores sanitatis recuperandæ gratiā inuicta mente pertulit, nondum deposita voluntate ad castra redeundi; his tamen cruciatibus quodammodo à Deo premonitus, rerum humanarum instabilem & fluxam sortem accuratius perpendere cepit, adeò vt post diuturnum cum animo suo, rerūq; inanium imaginibus & vmbriis certamen, tandem decreuerit (lectiōne librorum, qui vitam Domini nostri & Sanctorum continebant, vehementer adiutus) se totum diuino cultui mancipare exemplo & imitatione Sanctorum, quorum præclara facta à se non diu antea lecta, recenti memoria, hærebant.

Initia conuersi-
onis Ignatii de
Loyola.

Posthæc narrat idem Castagneda peregrinationes, res gestas, studia & pietatem Ignatii & sociorum, & qua ratione Societas hæc à Sede Apostolica approbata fuerit Anno M. D. XL.

Quidquid igitur tu certi & veri de origine Iesuitarum nosti, id te vel ex hoc scriptore, vel ex Iesuitarum libris desumere oportuit. Ipsi enim soli sunt, qui primordia sua literis mandare potuerunt; quippe qui primos suos parentes viderint, & isthæc narrantes sapius audiuerint. Ex te ipso nihil rerum istarum nosse potes, quandoquidem illis temporibus ne natus quidem eras. Si dixeris, te à Ministris & Prædicantibus super his rebus edoctum, libenter tibi assentior; sed nec ipsi hæc & similia aliunde, quàm ex libris Iesuitarū & Castagnedæ petere & intelligere potuerunt; & tamen tua narratio longè ab illorum narratione discrepat. Castagneda eodem modo scribit, quo Ribadeneira, & Massæus, Ignatium videlicet habuisse alterum crus fractum, alterum læsum, tu dicis, *utrumq; fuisse fractum*. Castagneda dicit, *lectionem piorum librorum non sine molesta lucta desiderium mundi*

mundi deserendi Ignatio peperisse; tu nullam huiusce rei mentionem facis, sed oblique indicas, id cum indignatione quadam fecisse, quod videret se claudum effectum. Quod tu ex tuo cerebro fingis. Nam historia nihil de hac re dicit; sed narrat, curatum fuisse, recteque incessisse, licet claudicaret; sed tam modice, ut non nisi a curiosis animaduerti posset. Quod satis non est, ut dicas, illum indignatione quadam militiam deseruisse. Sufficit generoso militum Duci, si prudentia valeat; & militi, si robore lacertorum: pedes firmos & crura agilia præoptant illi, qui, cum pugnandum est maxime, fugiunt maxime.

Porro tantum abest, ut qui in bello mancus mutilusve effectus est, debeat ob id animum despondere, ut infortunium hoc meritissimo honori & gloriæ sibi ducere possit. Quolibet enim passu, virtutis argumenta ostentat; abiectione Scevola animum, cum alteram manum; aut Horatius, cui Coclitii nomen, cum alterum oculum amisit? Castagneda dicit, Ignatium statuisse, rebus mortalibus valedicere; ut quidquid vitæ viriumve suppeteret, id totum in vnius Dei famulatu deinceps expenderet. Tu dicis, id factum irreconciliabili in Gallos odio. Castagneda dicit, cum impulsu & ductu Spiritus sancti hunc Ordinem fundasse: tu, demonis instinctu. Castagneda copiose exponit, quam multa præclara fecerit Ignatius cum sociis ad Ecclesiæ utilitatem: tu scribis, eum fouisse & aluisse maledictam istam conspiracyonem, quæ tot tantasque calamitates in Galliam inuexerit: & vndenam, nisi ex corrupti pectoris tui recessibus accidit, ut cum ex limpidissimo fonte biberis, reddas lymphas tam sordidas, veritate tam peruersè corrupta in hac breuissima historia? Et quid, oro, præiudicii & incommodi causæ tuæ attulisses, si candidè dixisses, Ignatium alterum crus habuisse fractum, librisque spiritualibus peruolutandis vacasse, & id genus alia, quæ

M

vera

Linus libr. 2.
Decad. 1.

vera sunt: quid, inquam, caussæ tuæ nocuisses, si hæc & similia commemorasses, omissa illa fellis amaritie, quam copiosè euomuiisti: Nihil damni inde tibi extitisset: sed ut anima tua omnis omnino conscientia expers est; ita & oratio tua veritatis.

CAPVT XX.

*Arnaldi calumnie in totam Rempub.
Christianam.*



ARVM tamen tibi visum est, historiam dicto modo deprauasse, nisi etiam in totam, qua patet, Christianitatem iniuriosus esses. Nam cum istā Societatem, maligni spiritus opus appellas, iniuriosè condemnas iudicium Ecclesiæ vniuersalis & ipsius capitis. Concilium Tridentinum sic de Societate loquitur: *Per hæc sancta Synodus non intendit aliquid innouare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Iesu, iuxta eorum pium institutum, à Sancta sede Apostolica probatum, Domino, & eius Ecclesiæ inferuire possit. Concilium vocat Religionem. Apostolica Sedes eandem Societatem ut Religionem approbavit per omnes illos Pontifices, qui à Paulo III. (qui eam primus calculo suo confirmavit) adhuc usque diem cathedram Petri tenuerunt, omnesque non sine accurato Regularum & omnium actionum examine debitisque probationibus, eidem varia priuilegia impertiuerunt. Societatem igitur, quam caput & corpus vniuersum Ecclesiæ Religionem appellat, pium institutum, proque Dei obsequio erectum, tu vocas coniurationem demonis operâ eductam & exclusam, impiam progeniem; & alibi: Sathanæ officinam, sectam periculosam; quæ nomina conuenire non possunt, nisi in hæresin, quæ propriè conuenticulum est spiritu diabolico congregatum, rebellio filiorum Sathanæ, officina*

Paulus III. Societatem approbavit.